

per signa evidentia aperte patet: aut & biliosa
quaedam causa morborum est, acris, amarissima,
aeruginosa, uti in febribus cholericis valde gravi-
bus, semitertianis nempe atque cholericis:
vel & morbus quidam malignus malae & perni-
ciose putredinis foboles adest: in his, iisque
similibus, quibus terna hae causae adsunt,
licet acuti sint, quis unquam venam pro emolu-
mento, & non potius pro detimento secabit? eau-
sam enim eorum minime tangit, quae est serum
atque qualitas ejus depravata & ad loca quaedam
influentis, quae ad excretionem ejus a natura desti-
nata sunt, nequaquam vero sanguis ruber, quem
per venae sectionem istam evacuabit; bilis autem,
& contagium morborum malignorum prorsus in-
tacta ab isto remedio remanent (a): nec possibile
ut per venae sectionem ea edacentur, alios enim
illorum ductus agnovit natura, cutim scilicet, &
cum vesica urinaria, atque utroque ven-
tre, nares, vel fauces et totum os, haec
nimurum quae loca idonea sunt, per quae tria haec
semper eliminare utiliter consuevit, numquam au-
tem, venas,

per

(a) Solide de his disserit J. A. D. Tissot opusc. medic. Tom. I. de febribus biliosis P. 96. seq.